


N. 30

(1)



*Sulici cujusdam ad unum ex amicis
Parlamentarium è rure Epistola.*

IN hoc secessu etsi corpore absens, animo tamen Reipublicæ deesse non possum, nec enim civem exui, cum Civitatem reliqui. Itaq; cum se dat hospitis, aut fortuiti, aut invitati occasio, inquirere non desino de Reipublicæ statu, quo in loco res nostræ terra mariq; sint: quæ nostri cum exteris, quæ exteri cum nostratibus publica negotia transigant.

Incidi nuper in certum hominem è curia recentem notum mihi, & Reipublicæ gnarum. Cumq; super his eum multa rogassem, accepi quædam nova prorsus, & grata: ac inter ea prosperos cursus classium nostrarum, prædas Navium hostilium, redditum ex India onerarium, tutumq; tum hærum, tum aliarum è diversis portibus Londinum accessum. Quibus cum auditis lætarer, addidit pro cumulo lætitia, adventum Legati Lusitanici: quem nuper Londinum magno cum apparatu ingressum aiebat. His ego erectus accuratius quæsi, quisnam is, & quare ad nos missus, quæ expectatio, qui sensus Civium esset? Et quidem quoad ejus dignitatem personæ elogium quoddam exhibit latinè scriptum, & typis Anglicis cufum: ex quo quis, & quantus ille vir esset, perspicuè constabat: Quo-

*Super ejus
Legatione*

A

ad

ad negotium ex iis quæ fama sparserat, intellexi, componendæ inter *Anglos & Lusitanos* controversiæ, ex Principum hospitio ortæ, & satisfactionis jacturæ bonorum inde secutæ (cujus *Joannes Guimaraens* ante principia jecerat) exhibendæ, atq; adeo firmandæ pacis causa venisse.

Quem ego nuntium cum jucundè acciperem quòd à Rep. esset, ulterius inquirendo perrexi, quis super eos sensus *Parlamenti, Senatû, & Populi* esset? Cumq; ille diceret nemini non probari, quod & decorum, & utile Reipublicæ foret: Nam offerri nobis, quod maxime optandum erat, ac ab eo Rege, qui nos amaret plurimum, & magni-faceret, & ejus Legati interventu, qui & Regi intimus, & de *Angliâ* benè meritus erat, nulla operâ nostrâ, nullo labore, honore magno, utilitate perspecta: mercatores nimirum fateri, ex nullo se Regno tantum emolumentum, quantum ex *Lusitania* capere: quare ut gloriam foris, ut domi opes augeremus, nihil nobis posse accommodatius evenire: Unum tamen esse, cui ea displicerent; Cumq; hoc obscure, & quasi repugnans dixisset, crevit cupido noscendi, quisnam esset is, qui à communi omnium sensu discreparet, & contra Rempublicam sentiret. Quærenti gravatè respondit, Hispaniæ Regis Legato ea non probari, quin tantopere eo adventu Legati *Lusitanici* esse commotum, ut gravi somno, quo ante, oppressus fuerat, excusso, repenti surrexerit, bilem conceperit, & lucem, quam oderat, viderit, cursitarit per Urbem, domos amicorum adierit, singulos quos norat rogarit, ut Legationem impedirent, suo Regi ingratham, Hispaniæ invisam, sibi non probatam: affirmare se, eo Legato admissio, discessurum: quæ illi data porta, ea se

(3)

se abiturum; uno verbo, Regem *Hispania* offensum iri. Id secreto apud familiares, id palam apud cives spargere: quæ quanquam non moverent Populum, posse tamen aliquos in partes trahere, & saltem moras negotio injicere, & suspicionem fidei nostræ Legato afferre. Commotior hæc audivi, quod ita nobiscum ageret *Hispanum*, cæu Regi ejus obnoxii essemus, ac ex ejus præscripto gerenda nobis esset *Reipublica*.

Non minus sane sollicitus reip. timere cæpi, quod per spectæ mihi jam sæpe antea *Hispanorum* artes essent, ad disturbanda negotia, quæ sibi adversa putantur. Cogitabam, quam cautus ille senex esset, ac ex obscuro vaser, quam nobis notus, quamque inter nos diu egisset. Hinc metus erat, ne quid salutæ moliretur. Itaque decrevi, ut ejus conatibus obviam irem; delictum calamum sumere, & ad te (vir Illustrissime) in quo nostræ *Reipublicæ* salus sita est, quæ in rem viderentur, scribere, non quod dubitem quin ea tibi, & meliora sint nota, sed quod aliter conscientiæ, & amoris in *Reipublicam* meo satisfacere non poteram.

Proponit *Reipublicæ* nostræ pacem Legatus *Hispanus*, & maxime nunc urget, ac ea nos largiter invitat: Quod certe nobis & utile, & decorum esse videtur. Nec enim contemnenda pax est a Rege maximo & potentissimo oblata, & nostris rationibus terra, marique opportuna. Ecquis tamen non videt vanam eam speciem pacis esse, re autem fraudem, ad rejiciendam *Lusitanicam*, imo & belli cum amicissima gente materiam? Esto tamen, de pace agitet. Certè impudenter agitat, illius populi nomine, qui belli maximam causam dedit, Occiso Legato nostro, quem Agentis nomine *Madritum* ad Regem misimus, cum primum *Li-*

berata est *Anglia*. Nota omnibus res est, & communis totius *Europæ* iudicio & voce damnata. Cujus memoriam refricare volo, ut commemoratio injuriæ pacis mentionem aboleat, & dolor Justus ad jus violati Legati repetendum animos nostros excitet.

Quod cum libellis in lucem editis, tum Legatis in omnes partes missis, serio egimus; hos nomine *Agentium* appellari voluimus, ac ex iis unum ad Regem *Hispanum* in curiam Legavimus. Quem cum in diverforium Hospitii causa intrare vellet, sicarii ex composito aggressi; duplici jure, & hospitii, & Legationis, tutum se esse truci casu. At privatum id facinus fuit. Mallem ita esse, quo minor ad nos perveniret injuria, ac ejus delicti gratiam facere possemus: Sed aliud inimici suspicari volunt. Nos privatum fuisse tanquam amici concedamus: Verum delicti tolerantia excusari non potest, quin publicum crimen involvat. Nam cum sceleris conscientia sicarios Asylum quærere coegisset, ac illud in loco sacro, (*Pramonstratensium* Templum appellant) quæsisset, ex eo quod religio loci atrocitate sceleris vincebatur, extracti, & in carcerem conjecti sunt. Subtraheretur suspicioni & querelæ materies, si aut ibi detinerentur, aut inde in supplicium ducerentur. Sed examinata causa postea carcere sunt educti, & asylo redditi, & hac ratione impunitatem consecuti. Fuere qui ex eo colligerent, eam cædem publico Imperio patratam fuisse, & impunitate privatum scelus in authorem recidisse: Quemadmodum enim, *Qui non vetat peccare cum potest, jubet, ita Impunitum crimen esse qui finit, jubet.* Sed mitius nos rem interpretemur. Esto, imperatum crimen non sit, certe toleratum fuit, & tolerantia ipsa probatum: noxia patienti:

(5)

tiētia comperta est. Nam qui patitur fieri delicta, permittit, imo & imperat. Nobis certe summa injuria irrogata, cum caedes Legati nostri impunè patrantibus fuit. Quis enim ignorat datam fuisse occasionem partrandi summa facinora in Legatos nostros, qui ad alia Regna missi sunt, cum privato nomine occidi possint, & publica impunitas occisoribus daretur. Gravius interdum est dissimulare delictum, quàm imperare: nam qui imperat, excusari præcipiti ira potest, eumque delicti postea pœnitere. Qui dissimulat cum extra iram sit, probare delictum videtur, & probando cautius imperare. Itaque non minor ad nos injuria data impunitate, quam caede admissa pervenit, Magisque violari Legationis jus, prolato scelere, quam imperato.

Quàm verò sit atrox & gravè facinus Legatum violare, patet ex eo, quod qui eum lædit, jus commune gentium violat. Unde Lex Julia sapienter jubet, *Qui violat Legatum, eum vi publica teneri*. Quod si omnium monumenta historiarum memoria repetamus, nullas acerbius vindicatas injurias, quam quæ sunt Legatis inflictæ, comperiemus. Ac ut è sacris primum literis exemplum petamus. *David*, optimus Regum, & maximus, factam ab lege *Ammonitarum* Legatis suis injuriam ferre certe non potuit. Barbas & vestes Legatorum *Barbarum* ille inhoneste præciderat, & ludibriis & contumeliis oneratos ad *Davidem* remiserat. Exarsit sic dolore, & ira, quæ erupit in flammam, unde belli excitatum incendium, quod totum penitus Regnum corripuit. *Rabba*, Urbs *Ammonitarum* Regia everfa, populus ferra immaniter lectus, ferratis carpentis fædè obtritus, & in partes postea crudeliter laceratus. *Sic fecit universis Civitatibus filiorum Ammon.*

A 3.

Certè.

Certé si stolidè Rex illudit, *David* inhumaniter sævit. Ille non excessit metas ignominia, *David* fortè pertransit crudelitatis: illius injuria intra pilos, & habitum mansit, Hujus vindicta ultra sanguinem & vitam ivit. Unius facinus fuit, pœna omnium. Culpam scelestus admisit: supplicium ad insontes vertit, & quæ peccare non potuit innocentia, pœnas dedit tam atroces, ut eas non modò pius, sed crudelis etiam animus legendo ferre vix possit. Et sane mirum videri debeat, Regem omnium mitissimum, quo nemo injuriarum tolerantior fuit, qui tot perpeffus est a *Saule*, & *Philistæis* hostibus mala, qui adversus dolores, ignominias, & contumelias obduruerat, cui nimia indulgentia vitio data, quod parcendo fermè deliquerat, in hac una vindicanda injuria sic exarsisse, ut & impatiens iræ, & quodammodo impotens sui supplicium atrocissimum excogitarit, & intulerit. Verum enim vero causa excusationem continet, & iræ immodicæ, & insolentis supplicii. Vidit nimirum *David*, quid inter illud crimen, & cætera interesset: nam hæc aut a privato in privatum profecta, aut certè si publica, contra unam tantum juris partem admissa: Unde iis *David* veluti privatus ignoscere, veluti Rex indulgere poterat. At violatjo Legatorum, quòd commune omnium gentium jus lædebat, nequibat vel a privato condonari, vel à Rege dissimulari, cum in neutrius personæ potestate esset, nec enim privata causa, sed publica agebatur. Imo censuit *David* reum fore se criminis, si impunitum scelus, quod in detrimentum verteret civium, reliquisset. Litavit illo sanguine religioni, & sacratius forte punivit, quam aliàs pepercisset. Duxit, nullum fore modum supplicio, ubi nulla ratio juris habita

(7)

habita fuisset, ac ultra omnem immanitatem pœnæ, defecti gravitatem esse. Quæ tanta est, ut gravius lædatur in Legato regia majestas, quàm cum in ipsis Regibus violatur.

Nam *David* antea privatus, Regiæ chlamydis oram *Sauli* præciderat, nec ob id sibi pœnam assignarat, tantum moderatè doluerat: nunc autem propter præcisas Legatorum vestes (nam rasæ barbæ vix pilum, opinor, injuriæ addiderunt) Regi & Regno supplicium statuit, & atrox, & foedum: perinde ac multo esset scelestius majestatem in Legatis, quàm in Rege violari: nam in Rege potest laedi periona, in Legato non potest nisi jus, & majestas publicæ. Huic sacrarum literarum exemplo proxima nunc innotuit, unde aliud suppeditat. Judaicæ gentis Rex *Herodes*, interfectis à se ad *Arabia* missis Legatis, tanti eam injuriam duxit, ut non modo jus hominum læsum, verum etiam divinum violatum putarit. Itaque expeditus ad ultionem armis testatus est, se ab iis non admissi in hominem, sed in Deum criminis pœnas exigere, quem auspitem belli, & authorem vindictæ fore putabat. & quidem *Sanctam Populis per secula nomen Legatus*.

Initam humano generi, hanc in persequendis Legatorum injuriis religionē testatur ipsa Regum ac rerum publicarum ab Orbe usq; condito mira consensus, quæ certe perinde ac inter se conspirassent, nemini Legatorum jura violanti scelus impune esse voluerunt. Princeps Regum *Alexander*, Legatorum suorum cædem à *Mamiacanis* Civibus factam, urbis excidio, & omnium internecone ultus est. *Julius Cæsar*, ei par virtute, justitia non impar, *Venatorum*, qui Legatos suos male acceperant, sanguine injuriæ maculam eluit. *Cambyses* ob interfectum.

Testum *Persarum* Regis iussu Legatum, *Memphin* urbe
cepit & diripuit, filium Regis, & bis mille pueros no-
biles jugulavit.

Anno 1511. Quamquam sciam *Helvetios* ob unum tubicinem fa-
de publicâ missum, & contra eam interfectum, copias
junxisse, & *Mediolanum*, in quo Principatu occisus fu-
erat, invasisse: ac Regem *Danta* propter detentum Le-
gatum, *Belgicas* naves sexcentas comprehendisse.

Anno 1586. Graves & acerbæ *Athena*, illæ doctrinarum altrices
barbaræ in *Darii* Legatos exercitæ immanitatis pœna
dederunt. Magnus Imperator *Carolus Saxonum* sangui-
ne, quid supplicii deberetur violantibus Legatos san-
ctum reliquit, *Civibus* contra *Gothos* ob contemp-
tam Legationem ira ad ultionem armavit. Ceu ho-
delictum Religionem violet, aut ira civium, Religiosis le-
gibus, & sacris punitum pœnis: *Sybaritis* ob inter-
fectos *Crotoniatarum* Legatos denunciatum
Jovis oraculo civitatis excidium, quod sane eventu
confirmavit. *Megarensibus* propter cædem *Ammocri-
tis*, *Atheniensium* Fœcialis, ab omnibus Græciæ totius
populis sacris interdictum, Sed uti nulla Respu-
blica Romanâ justior, & illustrior, ita etiam nulla plura
& clariora hujus vindictæ exempla suppeditat. Non
dum libera, & adulta (quod Regum patiens erat) *Pa-
denates* suorum Legatorum cæde pollutos ferro
flammisque funditus evertit. *Tarentini* postquam
Romanis defecerant, Legatos ad se missos pulsaverant
levius *Romani* perfidiæ, quam injuriæ crimen duxerunt
atque adeo hujus, *Camillo* authore, acerbissima
pœnas exegerunt. Quæ *Corintha* Urbs in *Græci-
clarior*, ut eam *Cicero* lumen illius dixerit? Eam
quod Legatos *Romanos* appellarat superbius, extinxe-
runt

(9)

runt, & *Corinthis* æris incendium cruentis sanguinis rivulis aluerunt. Nec ab externis tantum violati juris pœnas *Romani* expetebant: Sed à suis gravissimas, si externorum jura læderent, exigebant. Nam quibus injuria à *Romanis* Civibus facta erat, eorum vindicandi in autores jus erat. Ita *Carthaginensibus*, quorum Legatos læserant, *Lucium Minutium* & *Lucium Manlium* dediti sunt, ut in eos pro suo arbitrio animadverterent. Ita *Apolloniensibus* in *Quintum Fabium*, & *Cneium Apronium* vindicandi ultimum Legatis injuriam jus dedito. Imò eo devenit *Romanorum* religio ut externorum quoque Legatos non injuriis, cum ad se missi, & ab aliis violati erant, pœnas expeterent, & vindicarent. Etiam *Annibalem* ob detentos Legatos *Sicalorum*, in patriam *Roma* recedentes, bellum intulerunt; & in se vestigia belli, pœnam ex scriptis vindicanda esset, docuerunt. Illud *Romanam* Historiam legenti patebit, pleraque bellorum ab iis suscepta & gesta, juris hujusce violati causam vel habuisse, vel involvisse. Cujusmodi fuerunt *Italica*, *Punica*, & *Asiatica*: quæ iis omnia prosperè, feliciterque cesserunt. Sed quid ego longinqua commemoro? Cum domi exemplum suppetat, & recens, & clarum: quod præjudicium sit ejus, quam amplecti debetis in hac *Hispanica* causa, sententiæ. Afferam authoris nostri publicâ fide scribentis concepta verba, ex quibus constat, quæ nostra mens fuerit, quæ futura sit, si a nobis dissentire judicando nolueritis. Nam sic in scripto *Parlamenti Angliæ* in controversiâ cum potestatibus Fœderatarum *Belgii* Provinciarum Generalibus se habet. *Rebus Anglorum majorem Indies in modum Omnipotentis Dei nutu prosperè cedentibus, cum idem eorum judicium, idem animus erga suos illos vicinos esset, Parliamentum denudè aliud misit, suoque illic Oratori adjunxit, virum eo munere dignum*

Dominum Isacium Dorissium, juris-prudentia Doctorem, qui eâ auctoritate ac mandatis instructi erant, uti viderent, si qua honesta ratio mutuam utriusque Reipub. voluntatem inter se recte intelligendi posset iniri. Verum alter ex his Oratoribus Dorissius, cum ad hoc munus publicè obeundum Hagam venisset, quo in oppido Potestates Generales suos ferè conventus peragere solent, eo in loco scelestissimè, atque palàm trucidatus est: de cuius nefariâ ca de totius terrarum orbis procul-dubio ita sestiet, ut de piaculo quàm maxime detestando contra omnium gentium, imo ipsius humanitatis iura perpetrato, omnes homines sentire debeant. In conqui-rendis autem, & comprehendendis ejus interfectoribus, quam hilperè, & maxime cum factum recens esset, & postea, actum sit, quamvis hinc sepe numero postulatum, & ipsi haud nesciunt, & admoneri hic debent; Hæc si animo retineatis, Pacis cum Hispanis authores non eritis, cum causa inferendi belli, pacis ineundæ esse non possit: Nisi forte tam iniqui iudices estis, ut condemnare in Hollandis velitis, quod Hispanis condonatis: quod certe facere sine gravissimo crimine ac dedecore non potestis: nam remittendo culpam, quam contra jus gentium esse putatis, injuriam humano generi infertis, & ad similia facinora patrandæ ipsâ indulgentiâ invitatis, variando in eadem causâ judicium, & animos mobiles, & privatis magis affectibus, quàm juri obnoxios indicatis.

Hæc cum certissimis consent argumentis, quæ mens tam læva nobis, qui Rempub. optimam instituimus, injecta est, ut juris nostri obliti, injuriæ communis immemores, Pacis mentionem ab Hispanis, quibus bellum indici oportebat, omnino fieri patiamur? Itane uero? Qui res nostras & merces auferunt, eos pro hostibus habemus; Hispanos, qui honorem nobis eripiunt, amicorum loco habebimus? Aliis, nisi ablata restituant, bellum

(11)

lum indicimus: Cum *Hispanis*, recente adhuc injuria
& calente occisi Legati sanguine pacem faciemus? A-
lios pro commisso furto supplicio afficimus? *Hispanos*
pro violato jure, pro majestate contempta impune habe-
mus, & sceleris gratiam facimus? Certè vos si *Hispani*
effretis, bellum inferretis; nam hi, qui de Legatis *Hispani*
scripserunt Authores, docent nullam justiore arma-
fuerunt causam esse, quam jus Legatorum violatum.
Rem maximè continet hæc *Juanis Anthonii Zuniga*
in suo de Legato libro singularis sententia. Cum Le-
gatus leditur, obligatur Princeps hostis sui nomine, ad
vindictam sumendam, quod maxime *juranda sunt* injuria
facta Legato, quam sibi. Idem probat exemplo *Philippi*,
& *Persei*, affirmatque, qui injurias suorum Legatorum
negligunt, eos jus omnium gentium contemnere. Quid
quæris? idem hic in eodem libro asserit, justum *Ferd-*
nando Regi Catholico ad *Navarram* bello occupandam
titulum *Hispanici* Legati violentam in eo Regno de-
tentionem fuisse: iniquo fanè & insolenti judicio, sed
argumento contra *Hispanos* accommodato. Atenim
periculosum est bellum: Sed Pax turpissima. Nec ego
author belli esse volo, sed ignominia, quæ paci inuritur,
propulsator. Nec hortor, ut bellum fiat, sed ut Pax
ne fiat. Ducamus tamen rem, & obducamus callum in-
juria, non refricemus. Certè in majoribus angustiis,
Rex *Franciscus* Galliarum primus tot præliis defunctus
versabatur, nec tamen ferre potuit *Rinconis* Legati sui
cædem: & quanquam obscura indicia essent, *Carolus*
authorem prodidit, eiq; bellum denuntiavit, & aleam
periculosam subiit, ne ignominiam pateretur: Vestrum
est citra periculum & armis, & pace abstinere. Si alte-
terū vobis est eligendum, bellum potius quam pax esset:
id clamat sanguis *Agentis* nostri impunitus & inultus:
quem certe, si pacem facitis, majore injuriâ opprimitis,

B. 2

quàm.

Quando un le-
gado es ofendido
obliga a su Prin-
cipe casi con ob-
ligacion de su ho-
nor a la satisfi-
cion i vengence
jurgando la in-
juria major que
hecha a si.

723

quàm *Hispani* qui effuderunt. Nec ego quid vobis faciendum sit, sed quid illi mereantur ostendo, & quid illi contra nos facturi essent demonstro. Nam ipsi sanè haud dubiè bellum nobis eo nomine inferrent, & si possent, Regnum invaderent, quo jure *Navarram* invaserunt. Quare suspecti semper, vel in pace, *Hispanos* habete. Cum aliis gentibus innoxiiis & juris amantibus, inite fœdera, coite in societatem, pacem firmate; ac imprimis cum *Lusitanis*, qui pro vetere in nos amore honestissimam Legationem miserunt, et oblata justâ satisfactione ad pacem invitant, quam certe (intrusâ, simulatâ, amicitia) *Hispani* impedire conatur, non amore in vos, sed in *Lusitanos* odio. Hos ubique insectari student, Exagitarunt *Romanos*, exacerbarunt in *Germania*, vexarunt in *Hollandia*, turbant in *Gallia*, hodie in *Anglia* offendere moluntur, quod Regnum afferuerunt, & patriam liberarunt. Quo certe nomine à nobis suscipiendi, & complectendi sunt, qui libertatis *Anglicæ* authores fuimus: cum præsertim, quæ afferunt, et honesta sint, & utilia, quibus & fama, & potentia Reipub. nostræ plurimum augeatur. Verum Pacis conditiones idoneas, & utrique genti accommodatas Legato proponendas relinquo: ego, ut jucundâ clausulâ epistolam absolutam compositum in hanc rem, de quâ agimus, à nescio quo *Lusitano* Epigramma, & acutum & lepidum subscribam, & finiam.

Omnia Regna inter mas Portugal unus, & uni

Anglia rite pari nubere sola potest.

Huic nisi conjugio poterit Castella nefando

Nubere, famineo femina juncta thoro.

Ergo Portugali sese Anglia fausta maritet:

Conjugii fructus Pax erit alma par is.

Libertas hanc chara soror sociabit, & amplum

Per mare, per terras Dos erit Imperium.

FINIS.

